



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 6. De Nativitate Christi Domini in stabulo Bethlehemitico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

est, ut hinc vehementer erubescerem, videns tantam benignitatem, & amorem istius Dominæ; inde verò mea anima colliquesceret summo solatio, propter præsentiam illius Domini, quem sanctissimo utero habebat clausum. Dedit mihi DEUS magnum lumen, ut agnoscerem tum

illum, tum meritum & sanctitatem huius magnæ Dominæ, & Principis. Discessit à me dicendo mihi: Vale, quia manè diutius apud te morabor. *Alià quoque vice prope Nativitatem Domini ipsam invisit Regina Angelorum, replens illam solatio & gaudio.*

☉) * * (☉)

CAPUT VI.

De Nativitate Christi Domini in stabulo Bethlehemitico.



Um Sacrosancta Nativitas Verbi Divini Incarnati sit usque adeo deliciosum mysterium, voluit quoque DEUS exhilarare hanc suam Famulam, exhibendo ipsi modum, quo contigit, cum omnibus circumstantiis, quando in spiritu illi adsuit in stabulo Bethlehemitico, cum tanta vivacitate cognitionis, quantum habuisset, si eo ipso tempore fuisset presens, quo evenit. Toties invisit istud beatum stabulum, viditque, quid in illo esset vel fieret, ut tandem de se dixerit, se de eo loco posse loqui, ac si in eo fuisset. Quovis autem Festo Nativitatis, ipsi aliquid manifestabatur, quod aliis non vident, unde, illi præstabat Beatissima Virgo aliquas gratias competentes statui Virginali ejus, cui præstabantur. Ex quibus tantum illas, qua universim possunt adferre omnibus solatium ac fructum, referam prope ipsiusmet verbis.

§. I.

ANno 1597. triduo vel quadriduo ante Festum Nativitatis, dum essem collecta in oratione, & vehementer arderem amore DEI, dixit mihi Divina Majestas: Velle sine accipere in ulnas tuas Infantem JESUM, ubi fuerit natus? Ego agnoscentes meam indignitatem ac vilitatem, dixi statim animo obfirmatissimo: Non, Domine, certè non, Domine, quia ego id non mereor; aliæ, meis meliores, ulnæ sunt paratæ pro hoc ministerio, sanctissimæ scilicet Virginis Matris tuæ. Adveni-

ente nocte sanctissimi Natalis, quasi horâ noctis decimâ, me contuli ad meum cubicellum, & postrecitatum Matutinum, me consultui coram Domino, ut cogitarem modicum de illo Mysterio, tum quia erat illius tempus, tum etiam quia ijs diebus specialiter de eo mea anima illuminabatur. Postquam in ista cogitatione exegissem unam horam, reperi me in stabulo Bethlehemitico corâ Sanctissima Virgine Domina Nostra, quanquam cum tanta verecundia & confusione, ut vix illam auderè intueri. Erat ibi Sanctus Josephus, aliquantum remotus à Beatissima Virgine, in parte una stabuli, ac si advenisset exitinere, ordinans & componens pauca illa, quæ unâ attulerunt, atque adaptans, quàm posset optimè unam partem ejus stabuli, ubi illa magna Domina erat paritura suum sanctissimum Filium. Obambulabat sanctus vir cum silentio, & maxima modestia, ut videretur raptus in ecstasim, ac immersus sublimissimæ cuidam contemplationi. Sanctissima Virgo meditabunda in una parte stabuli, præferens serenissimum ac elegantissimum vultum, præstolabatur in suavissima contemplatione horam partus, atque cum hæc advenisset, vidi illam itâ vultu ardentem, ut videretur esse Seraphinus, & appareret quàm speciosissima; ostendebat quoque in eo nasci re ipsa ac verè ex sanctissimo ipsius utero, & ex purissimis ejusdem visceribus prodire sanctissimum Infantem suum Filium, & Dominum meum. Quod ubi duravisset, spatio, quo percurri posset Symbolum Apostolorum,

rum, ut mihi videbatur, con-
spexi ante ipsam sacratissimum Parvulum,
qui fuerat natus, & replebat animam
Virginis summo gaudio. Erat autem
Parvulus subleuatus a terra, quia,
quantum vidi, non decidit in terram,
neque eam attingit; sed potius
videbatur miraculose quasi sustentari
manibus Angelorum. Postquam autem
illum Sanctissima Virgo cum Sancto
Iosepho adorauisset & fuisset venerata,
confedit, positisque in suo gremio
fascijs ac pannis, accepit sanctissimum
Infantulum, & in illis collocavit,
aspexitque ipsius corpusculum
quam amantissime ac reverentissime,
& subito involuit ijs pannis, &
applicans illum sibi, porrexit ipsi
sacra ubera. Omnia ista ego aspicebam
attonita, ac tacens, nullo verbo dicto,
cum magno meae animae solatio.
Omnia durauerunt quasi duabus
horis, tandemque valedixi Sanctis-
sima Virgini, nec illam amplius eam
nocte vidi. Verum subito mane, &
omnibus illis diebus, quando me
recolligebam, eram in illo sancto
stabulo Bethlehemitico, sicut dum
quis venit ad Patriam, ut videat
ac visitet suos Parentes & Consanguineos,
seque cum ipsis recreet, licet interdum
exeat ad civitatem, propter peragenda
necessaria aliqua negotia, quando
tamen revertitur ad domum suorum
Cognatorum, manet apud illos, &
conversantur, collatanturque, donec
ad sit dies abitus; ita per omnes
eos dies, etiamsi interdum agerem
de alijs negotijs, tamen quando
orationis causa redibam ad meum
cubicellum, reperiēbam me in
stabulo Bethlehemitico coram
sanctissima Virgine. Jam illam
videbam involventem pannis suum
Filium denudatum, excitato modico
igne a Sancto Iosepho, in illo
pauperrimo stabulo, alias vero
eam videbam, quando ipsum
contemplabatur, quam esset
elegans, praeseferendo maximum
suae animae gaudium, quod se
videret Matrem talis Filij, &
cum hoc affectu mihi dicebat:
Aspice, aspice illum; quasi
diceret: Aspice, quanta elegancia
sit istius sanctissimi Pupuli.
Sed ipse tantam Majestatem
demonstrabat in vultu, ut illum
vix auderem intueri. Alias
videbam, quomodo ipsum lactaret.

que alio die vidi illam in eodem
stabulo cum suo Parvulo in
brachijs, & clarissimum lumen
ante ipsam, a qua illuminabatur,
nec tamen erat simile lumini
candelae, vel Solis, sed aliud
quoddam vehementer refulgens,
& modo valde illuminabat,
modo non multum, sicut quando
admoventur propere lucerna,
& postea remouetur, ac emittit
lumen ex loco remotiore, non
cum tanta claritate revelat
objecta, quantum dum esset
vicina. Haec autem omnia
spectando dixi intra me: O quis
sit tam felix, qui audeat in hoc
stabulo inservire Sanctissimae
Virgini, & ipsius pretioso
Filio! & quis mereatur osculari
pedes illius pretiosi Pupuli!
Tunc me aspexit Divina Virgo,
dixitque mihi: Vellesne etiam
illum accipere in tuas ulnas?
Hoc audiens, & considerans
meam indignitatem fui modicum
turbata, ac dixi: Certè non,
Domina: tantane sit mea temeritas?
& simne ego tam male morata,
ut audeam accipere ad meas
indignas & miserabiles ulnas,
Dominum Angelorum, & Filium
tuum? Profecto non. Sed
Sanctissima Virgo, neglecto
hoc meo responso, assurrexit
ex loco, in quo federat, &
veniens ad me cum suo pretioso
Filio, quem gestabat in
brachijs, dixit mihi: Visne
ipsum accipere? Accipe illum,
quia ego tibi cum do, & quidem
quam libentissime. Ego tergiver-
sabar, dicendo: Non, Domina,
ac timebam, videns, quod mihi
vellet tantam praestare gratiam,
& exhibere tantum honorem.
Verum Sanctissima Virgo dixit:
Accipe illum, accipe, quia ego
ipsa cum tenebo in tuis brachijs.
Et accedens ad me, dixit
iterum: Accipe illum. Tunc
videns perseverantiam, ac firmum
hujus sanctissimae Dominae
propositum praestandae mihi
illius gratiae, flexi genua, &
extendi brachia, quibus
Sanctissima Virgo imposuit
pretiosissimum Infantulum,
non dimittens ipsum ex suis
manibus, ut indulgeret verecundiae,
ac turbationi suae Famulae,
quae est osculata sanctissimi
Pupuli vestes cum magno
solatio. Nescio quam diu
illum habuerim in meis
brachijs; sed totam istam
visionem duravisse scio,
quasi duabus horis cum
dimidia.

Y

§. II.

§. I I.

ANNO sequenti 1598. eâdem nocte ac die Nativitatis, adfui in spiritu huic stupendæ Nativitati, sicut alias, & vidi præferim cœlestem lætitiâ, quâ sancti Angeli illâ horâ gestiebant, quâque demonstrabant in illo stabulo, unâ cum ijs, qui annunciabant Pastoribus Gloriam in altissimis DEO, & in terra pacem hominibus; atque simul cætera omnia, spectantia ad modum, quo sanctissima Virgo, & ipsius Parvulus secum agebant. In eo adverti quiddam speciale, admiratione dignum, & plenum solatio, quod, cum sanctissima Virgo teneret in suis brachijs suum pretiosum Filium recenter natum, lactando ipsum, viderim, à DEO illuminata, in illa Divina persona parvuli, illum fugentem ubera suæ Matris, fecisse quidem, quæ sunt Infantis, non fictè neque simulatè, sed re verâ & naturaliter, qualia agunt cæteri, tam paucorum dierum infantes, eò quod esset verus homo, & infans, sicut alij; nihilominus eodem cœlesti lumine, illustrata, adverterim & cognoverim in illo Infante eandem naturam, intellectum, & Sapientiam Divinam, quam ejusdem Majestas habuit, quando in ætate trigintatrium annorum verlabatur in terra, adeò ut in eo viderim hæc duo conjuncta, intellectum Viri perfectæ ætatis, & actiones, ac opera vera & naturalia Infantis, ita per infinitam DEI Sapientiam composita & ordinata, ut alterum non repugnaret alteri, atque ut cum ipsa natura DEI constituerent simul unam Divinam Personam, & Humanam tam admirabilem, ut neque lingua, neque intellectus ullus id possit eloqui, vel intelligere. Quod non solum ego sum mirata, & obstupui, sed etiam sancti Angeli, qui præsentés aderant cum magna reverentia & admiratione rei adeò stupendæ. Vidi etiam deinde, quomodo Sanctissima Virgo, quæ tenebat Infantulum admotum uberibus, illum inceperit sopire, quasi submissè cantillando, re verâ tamen canendo, & agitando modicè corpusculum, ut sanctus Pupulus indormisceret: atque hoc modo cœpit ipsius anima

sublimissimè contemplari mysteria Humanitatis ac Divinitatis sui sacratissimi Filij, quem tenebat in suis brachijs fugentem lac, dum id Virgo ageret, & indormicentem in ulnis suæ Matris, quæ plena fuit solatio, & amore, atque effusa in agendas gratias, pro tantis donis, quibus cumulabatur.

§. III.

ALIâ nocte Nativitatis, anno 1613. vidi in cœlo magnam solennitatem & gaudium, acsi reïonarent multa instrumenta musica, sicut quando hic in terra, in ejusmodi Festis, pullantur tympana, ac insistantur tubæ, & accinunt tibicines: sed hoc fiebat alio modo divinissimo. Vidi subito prodeuntem exercitum lucidissimum militum cœlestium, & innumerabilium Angelorum, qui pertransiverunt universam terram, dicentes: Vivat Rex cœlorum! Deinde omnes processerunt ad stabulum Bethlehemiticum, quod circumdederunt ingenti splendore: atque ibi vidi, quod Beatissima Virgo adverterit adesse horam sui partus, non tantum propter inusitatam suam internam lætitiâ, verum etiam ex motu benedictissimi Infantis in suo utero, volentis egredi. *(quia sicut ajunt Medici, infans in utero caput habet obversum dorso Matris, seque inverit, ut nascens in lucem prodeat capite.)* Infante nato, & involuto pannis, vidi, quod sanctissima Virgo ipsum vellet collocare in præsepio, & cum illic ambularent bos & asinus, dixi ego: Non, Domina, quia ibi sunt illæ bestię. Responditque Virgo: Nè tibi id accidat molestum, quia scriptum est: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini.* Vidi his omnibus adesse sanctos Angelos, quorum erant tres vehementes affectus: primò admirationis, cum viderent tam prodigiosum DEI opus; deinde lætitiæ, propter gloriam, quæ eidem Domino accedebat; & propter utilitatem nostram; tum tristitiæ, quia dolabant, quod ipsorum Dominus inciperet pati pro hominibus. Et vestes, quibus erant induti, habebant tres colores, quibus præsentabant hos tres affectus.

Allo

Alio anno 1618. paulò ante Natiuitatem Christi Domini, expendens magnam gratiam, quam DEUS mundo præstitit, quando in illum venit factus Homo & Infans, atq; sustinuit frigus & paupertatem, tantæque incommoda, ac denique mortem nostri causâ, & quòd fuerit malè exceptus tanta cum ingratitude, tenerè idcirco fui commota, & afflicta, magnòque affecta dolore. Videns autem me ità constitutam Dominus, dixit mihi ejusdem Majestas: Marina, quare te affligis? quis te turbat? Ego, ut obedirem meo Patri, veni quàm libentissimè in mundum, ad illum redimendum ac salvandum, quamvis scirem me malè accipiendum, atque tametsi pro uno solo venissem, bene impensum existimavissem, quidquid feci; quin & pro te sola in mundum venissem: noli tristari, nec te afflige. His à Domino dictis, fui plurimum recreata, & repleta solatio.

§. IV.

ALIÀ nocte Natiuitatis me visitavit sanctissima Virgo, dicens mihi: Adfero tibi bona nova, quia hodie nascetur in te meus Filius, per specialem gratiam, atque etiam ego redibo ad te invisendam, & ostendâ tibi illum cum Divinis ipsius splendoribus. Quia verò hæc omnia me perturbaverant, cò quòd essent adeò mirabilia, dixit mihi Domina Nostra: Nè timeas; quia Dominus tecum est, & habitat in tuo corde, ut illud nemo possit perturbare, vel scandalizare. Et videbar mihi in ista prima visitatione videre venientem Dominam nostram, quasi ferret in suis visceribus benedictissimum suum Filium.

Post hoc vidi derepentè venientem magnam multitudinem Angelorum, portantium in suis manibus Parvulum JESUM, tanquam recenter natum, & cum ipsis sanctissimam Virginem. Tum conspexi benedictissimum Infantem coopertù velo, sicut illum gestabant, ijs tamen coruscantem splendoribus, qui manifestarent ejus Divinitatem, ac Majestatem infinitam. Et accedens ad ipsum, osculata sum sacratissimos ejus pedes, quem sensi spiri-

tualiter ingredientem in meam animam, quemadmodum etiam procedentes ex illo quosdam cœlestes influxus, qui se diffundebant per omnes potentias, cum magno meo solatio. Deinde Virgo Domina Nostra accepit sanctissimū Parvulum in suas ulnas, involvitque illum suis pannis, & sic ipsum aliquamdiu tenuit, ut se eo oblectaret.

Alio tempore matutino, anno 1622. vidi in medio mei cubiculi sanctissimum infantem JESUM, recenter natum, formosissimum, & lucidiorem sole meridiano. Jacebat supra mundissimum ac bene compositum stramen, & sanctissima Virgo flexis genibus, junctisque suis sacratissimis manibus illum adorabat, admirans infinitam Bonitatem DEI, qui factus sit Infans pro hominibus. Idem faciebat Sanctus Joseph, profundens lachrymas, quæ illi decurrebant per genas. Interea quidam Sancti Angeli accesserunt ad meum lectū, & me erexerunt, ducentesque me ad medium cubiculi, ubi erat sanctissimus Infans, provolverunt me in genua coram ipsius Majestate, & sanctissima Virgo mihi quàm amantissimè & gratiosissimè dixit: Soror, reverere, adora, & accipe ad tua brachia hunc Dominum DEUM Nostrū, qui pro te ac omnibus hominibus descendit de cœlo in terram, & factus est infans. Ego non nihil turbata respondi sanctissimæ Virgini: Domina mea, ego adoro, & veneror hunc Dominum DEUM meum, & magnas illi ago gratias, ipsumque laudo propter gratiam & misericordiam, quam Divina ejus Majestas præstitit generi humano: sed ut illum accipiam ad brachia, non deest, cum ego sim, quæ sum, tam malâ ac tanta peccatrix; meaque brachia sint adeò immunda. Tu, mea Domina, quæ es jam ipsius Mater, & sanctissima Domina, illum suscipe ad tua. Sanctissima Virgo verò mihi denuò mandavit, ut illum fumerem ad mea brachia, & sancti Angeli me urgebant, ut obedirem. Ego renuebam id facere, & gloriosus Sanctus Josephus magnâ gravitate & autoritate mihi præcepit, ut ipsum ulnis meis exciperem, & obtemperarem illi magnæ Domine.

Y 2

Hoc

Hoc modo mihi videbar aliquantum acquiescere, quamvis etiamnum repugnarem. Sancti Angeli videntes istam meam tergiversationem, imposuerunt meis manibus & brachijs quoddam velum, atque tam ipsi, quam sanctus Patriarcha, sustulerunt sanctissimum Infantem, quasi illi inservientes, collocaveruntque ipsum ad meas ulnas. Ego tota fui turbata, videntem hanc bonitatem, ac benignitatem sancti Pupuli, & cœpi dicere: DEUS ac Domine mi, Omnipotens, Æternæ, Immense, Infinite, qui amore mei factus es homo, concede mihi tuam gratiam, favorem, & auxilium, præbe mihi tuum lumen ad agnoscendas tuas veritates, & alia huiusmodi. Hæc me dicente sanctissimus Infans ingressus est in me, intremque se inclusit in mea anima, ut mihi videatur fuisse intram me, sicut intram Eucharisticam Hierothecam. Obstupui, considerans hanc Divinam Humanitatem in me inclusam, adoravi & amplexata sum illam, agendo ipsi magnas gratias pro præstito mihi beneficio. Quando puravi hoc mysterium esse completum, venerunt ad me quidam sancti Angeli, & coopertam splendido pallio, multisque exornatam cimelijs, ac torque in collum injecto, duxerunt ad caelestem Jerusalem, præsentaveruntque me Patri Æterno, ubi inveni sanctissimam Virginem, & cæteros sanctos Angelos, qui omnes invicem colloquebantur. Videbantur mihi dicere: Eja creatura, & sponsa, ac tanquam Mater huius Parvuli, offer Patri Æterno istum Divinum Puerulum. Audiens hoc dictum, *tanquam Mater*, fui multum turbata, ac dixi: Ego sum miserabilis creatura, Tua Majestas, mea Domina, est vera Mater huius Domini ac DEI mei. Tum Dominus mihi dixit: Nonne meministi, quod quando concionabar in mundo, ac mihi dixerunt, queri me à mea Matre, & meis Fratribus, illis responderim: Matrem meam, & Fratres meos esse, quicumque fecerint voluntatem Patris mei. Hoc igitur modò tu es Mater mea. Ità resumpsi animum, iterumque conspexi sanctissimum Puellum in meis brachijs supra linteam, sicut prius, & cum maximo affectu dixi:

Pater Æternæ, offero tibi hunc Dominum DEUM meum, atque Filium tuum, & istius sanctissimæ Dominæ, totam meam voluntatem, & corde, ut sit Redemptor mundi ac vivat, usque ad triginta tres annos, & patiat, tandemque moriatur pro salute hominum. Quamvis autem hanc Oblationem peregerim totam meam voluntatem, non absque magna tamen violentia, & ingenti dolore, quem tunc sensi: quia mihi representata fuit tota ipsius Passio & mors, ad eum modum, quo observata fuerit animo Beatissimæ Virginis, quando ipsum obtulit in templo. Pater æternus accepit meam oblationem cum magna approbatione, & assensu. Et sanctissimus Infans rursus repente penetravit intem meam animam, in cuius amplexu fui abrepta in ecstasim. Quando autem nulli fui reddita, reperi me in angulo cum eodem Parvulo, & retinui illum intram me toto illo die, atque etiam diutius.

§. V.

A Lio die Festorum Natalitiorum, anno 1622. vidi in meo paupertino cubiculo, sanctissimam Virginem cum suo sacratissimo Filio, quem tenebat in brachijs, unam cum sancto Josepho ejus Sponso, & magno numero sanctorum Angelorum. Postquam advenisset, dixit mihi hæc sanctissima Domina: Soror, ecce hæc tibi adfero pretiosum istud pignus, meum Filium dilectissimum, ut illum videas, ac adores, nascaturque in te spiritualiter, & in tua anima, per gratiam. Dedit mihi suum sanctissimum Filium, & accepi illum, ac vidi intram me ipsam cum ingenti gaudio, & læticia. Obstupui, & mirata sum tantam gratiam, quantam mihi Dominus præstabat. Et accessit ad me Sanctus Patriarcha Josephus, imposuitque meo ori suis sanctis manibus aliquid, quasi me cibaret; quo fui valde confortata, & sic à me discesserunt. Aduit subito meus sanctus Angelus Custos, & extendens conjunctas manuum volas, dixit: Soror, ejice huc, quod sanctus Patriarcha imposuit tuo ori. Incepi id ejicere, & prodiverunt ex me

me multæ gemmæ, ac lapides pretiosi, per-
elegantés ac lucidi, qui repleverunt manus
sancti Angeli, quosque ille recondidit in se
ipso. Dicebam intrâ me, dubitans: Quid
hoc potest esse? Dominus autem mihi re-
spondit, omnibus illis gemmis, & pretiosis
lapidibus, significari merita lachrymarum,
quas sanctissimus Infans JESUS profude-
rat in sua Nativitate, & merita lachryma-
rum ex devotione & gaudio profusarum,
à sanctissima Virgine, quorum me Domi-
nus meritorum eodem tempore partici-
pem reddiderat.

Postquam vidissem alio die, sicut soleo,
hoc Mysterium, in stabulo Bethlehemitico,
vidi cœlum Empyrium, & reliquos cœ-
los apertos, atque illos & terram coaluisse
quasi in unum cœlum. Descendebant in-
de Angeli, alijs hinc ascendentibus; hi ab-
ibant, redibant illi, omnes venerabundi,
adoraturi Dominum recenter natum; &
mihi fuit ingens solatium, videre tantam
Angelorum elegantiam, tam pulchrè or-

natorum, adeò exultantium, ac stupen-
tium, cum adorarent illum Dominum
DEUM nostrum, & Hominem verum.

Aliâ vice 1622. dum vacarem orationi,
meditando Nativitatem Domini, & in
memoriâ revocando multas inuitatas gra-
tias, mihi ab ipso alijs his diebus præstas,
mei Domini, sancti Angeli, me duxerunt
ad quendam parvulum horum, peramœ-
num tamen, concinnum, suaveolentem,
& jucundissimum, ubiq; me in medio ipsius
collocaverunt in quodam sedili, referente
speciem fellæ, ubi me sensu flammis vehe-
mentis & suavis ignis circumdatam, qui-
bus mea anima ardebat, neque combure-
batur, quia ipse DEUS erat in igne. Ibi
plurimum confortata, cum magno mee
animæ solatio diu manti, & Dominus mi-
hi revocavit in memoriam rubum Moysis,
qui ardebat, & non comburebatur, atque
eum in modum fui toto illo tempore valde
unita DEO, donec ad me redissem ex ra-
ptu. Benedictus sit DEUS.

CAPVT VII.

De quibusdam specialibus ac admirandis gratijs, quas ipsi Dominus præstitit in Festis suæ Nativitatis.

§. I.

P

ostquam mihi Dominus dignatus est revelare My-
steria, quæ contigerunt in stabulo Bethlehemitico,
quemadmodum dictum est, vidi etiam in il-
lo sanctissimo stabulo Patrem Æternum,
qui in suo sacratissimo sinu tenebat suum
Filium, cum sacratissima ipsius Humani-
tate, & Spiritum sanctum, atque ex omni-
bus tribus Divinis Personis, promicabat
quædam Divina lux, Diviniq; radij ignis,
qui reverberabantur in sanctissima Virgine,
& replebant illam gloriâ, Divinisque
splendoribus, sicut quando Sol ferit vas
crystallinum. Dixitque mihi subito Do-
minus: Vidisti jam, quod est factum in

terra? veni mecum, & videbis quid fiat in
Cælo. Fui ducta ad cœlestem Jerusalem,
ubi inveni meos Dominos Angelos orna-
tissimos: quod me multum recreavit. Ce-
lebrabatur magna solennitas, & Festum in
Cælo, in honorem sanctissimæ Humani-
tis Christi Domini, audiebantur sonore
musicæ, & ingens strepitus, quasi tonitru-
orum, ac fulminum: quo tumultu duran-
te cadebant in Cælo quidam velut nummi
aurei (*coronati*) candentes igne Divino, a-
deò, ut instar stellarum collucerent, qui-
bus videbatur repleti Cœlum. Et quam-
vis disruptis Cœlis deciderent in terram;
non cadebant tamen ad illam, tam copio-
si, neque ita resplendentes, sicut in Cælo.
Quia ij nummi mihi videbatur esse ingens
thesaurus, proripiebam me in medium, ut
ipso colligerem; quidam autem sanctus

Y 3

Ange-